DE

BONIS NOBILIVM IVRI DETRACTVS OBNOXIIS

DISSERTATIO IVRIDICA

QVAM

PRAESIDE

IO. CHRISTOPHORO PESLERO

I. V. D. ET PROF. PVBL. ORD. ITEMQVE FAC. IVR. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXVIII. MAII A. O. R. CIƆIƆCCXXXXIII.

PVBLICE VENTILANDAM EXHIBET

AVCTOR ET RESPONDENS

IO. CAROL. CONR. OELRICHS

IVR. CANDIDAT.

BEROLINAS.

FRANCOFVRTHI AD VIADRVM

EX OFFICINA PHILIPPI SCHWARTZII ACAD. REG. TYP.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS DISSERTATIONIS

DE

BONIS NOBILIVM IVRI DETRACTVS OBNOXIIS.

I.

Diuerſae ſunt ICtorum de ratione introducti iuris detractionis ſententiae.

II.

Nec tamen deſunt, quae contra illas moueri poſſunt dubia.

III.

Proxime ad verum accedit, rectores rerum publicarum reuocare ciues voluiſſe a conſilio emigrandi, et bona exportandi.

IV.

Emolumentum, quod ex detractione capitur, pertinet ad principem.

V.

Princeps vero, vt alia iura regalia, ſic ius detrahendi, cum priuatis communicauit.

Digitized by Google

VI.

Quoniam ratio §. III. adducta, conuenit nobilibus, hique principi, ad quem ſecundum §. IV. emolumentum ex detractu pertinet, aeque, ac ignobiles ſunt ſubiecti, bona illorum non minus, ac ignobilium, detractioni ſunt obnoxia. Hoſpites autem ſunt immunes.

VII.

Quaeritur an etiam inferior magiſtratus, ius detractus in bona nobilium exerceat, et quatenus nobiles iurisdictioni oppidanae ſubſint?

VIII.

Quatenus nobilis nobilem, praedii equeſtris poſſeſſorem, iudicem agnoſcere teneatur?

IX.

Ius detractus eatenus exercetur, quatenus competit iurisdictio.

X.

Exceptiones a regulis, quae §. VII. VIII. IX. continentur.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Ius eſt, quod a maioribus accepimus, et nunc etiam in plerisque Germaniae prouinciis vſu ſeruamus, vt, qui, ſede mutata cum bonis ſuis in alium concedere locum inſtituunt, vel hereditatem, alicubi ſibi delatam, ad lares domicilii transferre cupiunt, quandam patrimonii exportandi deminutionem pati teneantur. Sed vnde originem ceperit hoc ius, ad circumſcribendam manendi diſcedendique libertatem comparatum, tam parum conſtat, vt magna potius ICtorum diſſenſione de vera eius ratione videam diſceptari. Sunt enim, iique non minimae viri auctoritatis, qui tum cenſum, a ciuibus emigrantibus dependendum, tum deductionem de hereditate, a peregrino adita fieri ſolitam, ex priſca ſeruitute Germanica deſcendiſſe, [a]) eamque ob cauſam equeſtrem nobilitatem ab hoc onere ſemper immunem fuiſſe, [b]) affirmant. Et haec quidem ſententia eo propius accedere ad verum mihi videtur, quo certius eſt, eam etiam hodie eſſe hominum propriorum con-

 ditionem,

ditionem, vt ne, inuitis dominis, quorum glebae adſcripti ſunt, nec, niſi dato aliquo manumiſſionis redhoſtimento relinquere domicilium queant. [c]) E contrario autem in liberorum hominum praerogatiuis numeratur, quod pro lubitu alicubi morantur, vel etiam vna cum bonis ſuis inde abeundi licentiam habent. Hac enim formula ſaltem in Würtenbergico ducatu liberorum hominum conditionem deſcribi, ab HORTLEDERO [d]) annotatum eſſe lego. At nihilo tamen minus in alia omnia diſcedunt alii, et quoniam tutelam, qua ciues in republica fruuntur, pro non minimo beneficio habent, aequum eſſe iudicant, vt, qui abitum ex ciuitate parant, patrimoniumque in ea acquiſitum ſecum aufferre in animum inducunt, relicta huius parte in loco priſtinae habitationis, gratum animum declarent. [e]) Enim vero, quia haec ipſa ratio non ſatis conuenit extraneis, hereditatem alicubi vel ex vltima poſſeſſoris voluntate, vel inteſtato ex lege ſibi obuenientem aliorſum tranſportaturis, nimirum pro defenſione, qua nunquam vſi ſunt, minime obſtrictis; aliam cauſam ſuperaddunt alii, non minus, vt opinantur, idoneam, ob quam deductio de bonis, vel ab ipſo domino emigrante, vel ab herede eius extero, in alium locum transferendis, fieri poſſit. Etenim cum eos, qui ſemel ſeſe ſocietati ciuili adiunxerunt, ad rempublicam et opibus, et opera, iuuandam, obligatos eſſe, videant, non immerito poſtulari aiunt, vt, quod aerario damni ex bonorum tributo adhuc obnoxiorum, ſed poſtea in perpetuum abſuturorum, exportatione imminet, detractione reſarciatur. [f]) Placuere haec pleriſque,

qui

Digitized by Google

qui origines introducti iuris detractionis indagarunt. Sed fuere tamen, qui paullo altius repetendas eſſe iuris toties nominati cauſſas, artesque imperantium ſubeſſe crediderunt. g) Nam vt maxime intereſt rei publicae, augeri potius numerum ciuium, quam imminui, ipſas vero opes ſemel illatas cumulari magis, et in dies noua accipere incrementa, quam exhauriri, arcano quodam conſilio introductum eſſe cenſum emigrationis et detractionis volunt, vt, qui ſponte in ciuitate ſubſiſtere nolunt, propoſito diſpendio facultatum, a conſilio abeundi et bona exportandi auocentur.

a) AVGVSTINVS DE LEYSER in meditat. ad pandectas ſpecim. CCCCXXIX. med. 2. vol. VI. p. 1155.

b) GEORGIVS BEYER in delineatione iuris Germanici L. I. c. 20. §. 5. IO. GOTTLIEB HEINECCIVS elementorum iuris Germanici L. I. tit. 2. §. 61. p. 43.

c) IO. NICOL. HERTIVS in diſſertat. de hominibus propriis, ſect. III. §. 2. vol. I. tomo II. opuſculorum p. 174.

d) FRIDERICVS HORTLEDER von den Urſachien des teutſchen krieges L. IV. c. 48. n. 39. p. 986. IO. SCHILTER in praxi iuris Romani in foro German. exercit. III. §. 5. p. 34. ſeq.

e) IACOBVS BORNITIVS de aerario L. IV. c. 7. p. 44.

f) PHIL. KNIPSCHILD de iuribus et priuilegiis ciuitatum imperialium L. II. c. 20. n. 11. 12. CASPAR KLOCK de aerario L. II. c. 69. et 70.

g) IO. FRID. RHETIVS in diſſ. de ſarcina emigrantium c. III. §. 2. inter diſſert. iur. publici p. 529. IO. NICOL. HERTIVS in diſſ. de ſuperioritate territoriali §. 55. vol. I. T. II. opuſculor. p. 312.

§. II.

§. II.

Placebat mihi, quod fateor, opinio, primo loco recenſita, prae caeteris, multum quippe adiumenti allatura cauſſae nobilium, ſi forte quis eorum immunitatem ab hoc onere aſſertum iret. Neque obeſſe illi crederem, quod municipes, non minus, ac ruſtici, hoc, de quo ago, vectigal exsoluunt, cum non minima eorum pars ex libertinae conditionis hominibus originem ducat, adeoque ſecundum Germanorum mores non multum ſupra ſeruos emineat. Illud tantum vereor, vt probari posſit, nobiles noſtros, eorumque maiores nunquam fuiſſe obnoxios cenſui, quem dicimus, emigrationis et detractionis. Euoluenti enim mihi diuerſorum iure conſultorum libellos, et in obſeruantiam inquirenti in manus incidunt complures, qui nobiles ad cenſum emigrationis, cum principi, tum ciuitatibus, in quibus domicilium conſtitutum habuerunt, obſtrictos, hereditates etiam eorum detractioni ſubiectas eſſe, teſtantur. [a]) Nec deficit, quod obiici poteſt illorum ſententiae, qui ex officio grati ciuis cenſum iam dictum promanare, perhibent. Non iam multis commemorabo, quod Ill. RHETIVS, [b]) animaduertit, non magis ad remunerationem ciues abeuntes, quam remanentes obligari, qui, vt vt eodem beneficio affecti ſint, ad parem tamen penſationem non obſtringuntur. Illud autem non parum obſtare opinioni iſti exiſtimo, quod Ill. academiae Vitebergenſis ICtus AVGVSTINVS A LEYSER [c]) monuit, non gratis praeſtari ciuibus illam, qua fruuntur tutelam, vtpote quam non minima redituum ſuorum parte redimere coguntur.

Digitized by Google

tur. Denique cum is, qui iure ſuo vtitur nemini iniuriam facere cenſeatur, [d]) non eſſe ait Illuſtr. Dominus RHETIVS [e]) cur ciuis, nulla in ciuitate manendi neceſſitate obſtrictus, damnum, quod forte ad reliquos redundare poſſit ex abitu, reſarcire teneatur.

a) IOACH. SCHEPLITZ ad conſuetudines Marchiae Brandenburgenſis P. III. tit. 8. qu. I. n. 8. 9. p. 322. MATTHIAS BERLICHIVS P. III. concluſ. 52. n. 22. IOSIAS NOLDEN de ſtatu nobilium ciuili c. XVII. n. 102. p. 394. DAVID MEVIVS in commentario ad ius Lubecenſe, quaeſt. praelim. III. n. 65. p. 20.

b) IO. FRID. RHETIVS de ſarcina emigrantium c. 3. n. 4. et 5. p. 529. c. l.

c) AVGVSTIN. DE LEYSER in Medit. ad Pandectas l. c.

d) l. 13. §. 1. D. de iniur. et famoſ. libell.

e) RHETIVS l. c.

§. III.

Sola igitur illa ratio ſupereſt, quae in auertendo, quod, imminuto ciuium numero, et opum extra ciuitatem auferendarum iactura, ad rem publicam redit, detrimento conſiſtit. Quam ego quidem ante oculos fuiſſe ciuitatum rectoribus, cenſus noſtri auctoribus, eo certius mihi perſuaſum habeo quo magis eſt expeditum, non tutius facile remedium ad rem publicam in ſummo felicitatis gradu collocandam inueniri poſſe, quam copiam ciuium, et affluentiam opum, ad res gerendas neceſſariarum. Si enim verum eſt, quod nemo dubitat, multitudini ciuium reſpondere tributa, aliaſque praeſtationes in ciuitate vſitatas, praeterea potentiam, ipſamque apud exteros au-

Digitized by Google

ctoritatem, ex tributis vero, praeſertim, publica neceſſitate id ſuadente, auctis, eo vberiorem quaeſtum capi poſſe, quo maior eſt ciuium opulentia, nihil ſane prudentiſſimo cuique reipublicae adminiſtratori aeque euitandum erit, quam vt ne decreſcat ciuium numerus, et abundantia diuitiarum. In Flandria obtinere traditum eſt, vt tam ciuis emigraturus, quam extraneus hereditatem ex loco, cuius ciuis non eſt, exportaturus, ad decimas dependendas adigatur. [a]) Cuius rei, cum mentionem facit NICOLAVS BVRGVNDVS [d]) huic ipſi inſtituto opulentiam ciuitatum Flandricarum deberi ſcribit. Fallor igitur omnino, aut certe has ipſas, quas antea recenſui, rationes animo propoſitas habuit BARTOLVS [c]) cum non ſolum ſtatuto interdici, ſed plane poenis coerceri, emigrandi licentiam poſſe, defendit. LVDOVICVS ROMANVS [d]) ſaltem argumentis noſtris vſus eſt, quando reuocationem ciuium Fanenſium, a Pandulpho quodam per edictum factam, a nota iniquitatis et iniuſtitiae liberare conatur. Atque etiam cum patrum noſtrorum memoria, Argentoratum, non vltima olim inter liberas imperii ciuitates, a Gallis occupatum fuiſſet, ideoque opulentiſſimi quique, quibus nouus princeps non ſatis placebat, patriam relinquerent, non minimo vrbis ac remanentium incommodo, auctor factus eſt Vlricus Obrechtus, praetor vrbis regius, vt cenſus emigrationis olim in ciuitate Argentoratenſi non auditus, quin et libertati, a maioribus acceptae, inimicus, introduceretur, eoque ciues a conſilio deſerendae vrbis auerterentur.

a) CASPAR

a) CASPAR KLOCK de Contributionibus c. I. n. 249. p. 24.

b) NICOLAVS BVRGVNDVS L. III. Hiſtor. Belgic. p. 227.

c) BARTOLVS in Commentario ad l. 6. D. de decret. ab ord. fac.

d) LVDOVICVS ROMANVS conſ. LIX. n. 1. 2. fol 41.

e) IACOBVS WENCKER de Pfalburgeris, Vsburgeris, et Gleuenburgeris, in ſupplemento I. p. 153. ſeqq.

§. IV.

Vidimus cauſas, quibus permoti, legum et ſtatutorum conditores de bonis exportandis deductionem fieri voluerunt. Sequitur, vt, ad quos emolumentum inde redundans, pertineat, diſpiciamus. At etiam hic in tot tamque varias opiniones diſcedunt ICti, vt implicare magis, quam explicare quaeſtionem videantur. Sunt enim, qui ius exigendi cenſum vtrumque, quem diſputamus, illius eſſe contendunt, apud quem eſt ſuperioritas territorialis, [a]) aut ſaltem regalium vſus. [b]) Sunt etiam, qui hoc ipſum ius mero adhaerere imperio aſſeuerant. [c]) Sunt denique, qui illud iurisdictionis fructibus annumerandnm eſſe putant. [d]) Et hi poſteriores quidem, vt cenſum emigrationis et detractionis cum iurisdictione coniunctum eſſe dicerent, permoti forte eo fuerunt, quod illum a pleriſque magiſtratibus, etiam inferioribus, exigi intellexerunt. Enim vero cum non deſint alii magiſtratus, tum municipales, tum nobiles, qui vt vt iurisdictione gaudeant, hoc iure tamen carent, facile quidem eſt ad colligendum tam arctum inter iuris dicundi facultatem et ius dedu-

cendi de bonis ciuium exportandis non eſſe nexum, vt, qui illam habet, hoc non frui non poſſit. Qui vero magiſtratibus, inferiorem tantum, non ſuperiorem iurisdictionem exercentibus, ius toties nominatum competere negant, iisque ſolis qui merum mixtumque imperium habent, illud vindicant, hac vtuntur ratione, quod detractio illa de bonis extra ciuitatis fines transferendis, ſit genus quoddam vectigalis, cuius conſtituendi ius illis tantum eſſe affirmant, qui mero, mixtoque imperio ſunt inſtructi. Ac ne auctoritas aſſertis deſit, prouocare ſolent ad ſcita ICtorum Italorum, qui vectigalium impoſitionem a mero mixtoque imperio pendere tradiderunt. BERLICHIVS [e]) ſaltem, quem in primis huius ſententiae defenſoribus numero, BERTACHINVM [f]) anteſtatur. Hic vero ius vectigalium imperatori et regibus, ſuperiorem non agnoſcentibus, praeter hos vero ciuitatibus mero mixtoque inſtructis imperio adſcribit. [g]) Enim vero ſcripta ICtorum Italorum quemque facillime edocent, illos meri imperii appellatione non ſolam animaduertendi in facinoroſos poteſtatem, ſed plane ius quoddam ipſa maieſtate haud multo inferius, hodie ſuperioritatis territorialis nomine inſignitum, intellexiſſe. Sane cum obſeruamus ſummam illam potentiſſimarum Italiae ciuitatum poteſtatem, qua medio aeuo gauiſae ſunt, merum imperium dici, illoque ius leges condendi, [h]) collectas indicendi, [i]) tabelliones creandi, ſpurios legitimandi, magiſtratus conſtituendi, veniam aetatis concedendi, [k]) bona ciuium facinoroſorum publicandi, [l]) omnia denique regalia II.

F. 56.

F. 56. enumerata, [m]) vna meri imperii voce comprehendi, manifeſtum eſt, eam fuiſſe ICtorum Italorum mentem, vt vectigalia quoque, quae meri imperii eſſe dixerunt, illis tribuerent, qui ſumma poſt imperatorem poteſtate in territorio quodam praediti eſſent. Indeque conſequitur, ea, quae ICti tranſalpini de mero mixtoque ciuitatum ſuarum imperio aſſeuerarunt, a noſtratibus non ſatis commode ad ciuitates Germaniae, earumque merum imperium, ſeu iurisdictionem, quam ſuperiorem et criminalem dicimus, applicata eſſe. Quandoquidem vero a ſummi imperantis pendet arbitrio, quibus finibus circumſcribenda ſit libertas ciuium, tum aliarum actionum contemplatione, tum in emigrando, boniſque aliorſum transferendis, vtrumne gratis, an ſoluto demum cenſu quodam, abeundi, bonaque aſportandi licentia ſit facienda, illorum ſententiam praeferendam eſſe, exiſtimo, qui ius detractionis ex regalibus eſſe, et ad principem vi maieſtatis vel ſaltem ſuperioritatis territorialis, pertinere affirmant. Quid enim prohibet, quo minus detractionem illam, de bonis exportandis fieri ſolitam, poenis annumeremus? Romani ſaltem dum orbos ſolidum capere ex hereditatibus legatisque noluerunt, id in poenam fieri dixerunt. [n]) Mulctarum autem compendia, eſſe fiſci, adoque principis, extra controuerſiam eſt controuerſiam eſt conſtitutum. [o])

a) KNIPSCHILD de iuribus et priuilegiis nobilitatis L. III. c. 2. n. 120. RHETIVS de ſarcina emigrantium cap. II. §. 4. n. 8.

b) HENRICVS COCCEIVS de cenſu emigrationis, th. 9.

p. 14. HERTIVS in diſſ. de ſuperioritate territoriali §. 55. Vol. I. T. II. p. 312. CHRISTOPHORVS BESOLDVS in theſauro practico, voce: Abzug. SIM. PETER GASSER in der Einleitung zu den Oeconomiſchen, Politiſchen, und Cameral-Wiſſenſchafften, C. XIII. §. 7.

c) IACOB. THOMINGIVS in deciſionibus quaeſtionum illuſtrium quaeſt. XXVI. n. 37. 38. BERLICHIVS P. III. concl. 52. n. 19. ERNESTVS COTHMAN. reſp. acad. XIX. n. 11. MEVIVS in commentario ad ius Lubecenſe P. II. tit. 2. art. 4. n. 14. p. 114.

d) vid. RHETIVS l. c. §. 5. n. 13. 14. 15. p. 526. add. FRIDERIC. MVLLER in practica ciuili March. reſolut. 3.

e) BERLICHIVS l. c.

f) IO. BERTACHINVS in repertorio. P. II. p. 77. voce: Gabella a quibus imponatur.

g) PRAESES in diſſertat. de iure fiſci, quod mero adhaeret imperio §. IX. p. 18.

h) BARTOLVS in commentario ad l. 3. D. de iuriſd.

i) BALDVS in commentario ad l. 5. C. de exec. rei iud.

k) IDEM. Vol. III. conſ. 439.

l) IASON in commentario ad l. 3. D. de iuriſd.

m) REGNERVS SIXTINVS de regalibus L. II. c. 8. n. 43. p. 424. add. MATTHAEVS WESENBECIVS P. IV. conſ. 181. n. 22. p. 458.

n) VLPIANVS in fragmentis inſtitut. tit XVI. §. 2. conf. HEINECCIVS in Commentario ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam L. II. c. 21. p. 338. ſeqq.

o) II. F. 56.

§. V.

Interim vt experientia, optima rerum magiſtra edocemur, non raro accidiſſe, vt principes iurium ſuorum exercendorum facultatem cum priuatis communicarint, ipſaque fiſci emolumenta

complura

Digitized by Google

complura magiſtratibus inferioribus conceſſerint, ſic, certe etiam cenſus noſtri de quo diſputamus, contemplatione factum eſt, vt eius exigendi, et in vſus ſuos conuertendi nobilibus aeque ac collegiis decurionum in municipiis fecerint poteſtatem. Non eſt, cur quis a me requirat documenta publica, in fidem talis permiſſionis exarata. Quae etſi non omnino deficiunt, ipſe tamen vereor, vt omnes illi, qui deductionem de bonis exportandis faciunt, expreſſa ſeſe principis conceſſione tueri poſſint. In Marchia ſaltem noſtra, [a]) et ducatu Magdeburgico, [b]) conſtitutiones principum extant, ad firmandum ius tum nobilium, tum magiſtratuum municipalium comparatae. Nec alibi omnino deſiderantur vel leges, vel receſſus prouinciales, quibus ius hoc magiſtratuum inferiorum in tuto eſt collocatum. Si tamen vel maxime alicubi deficiat ius ſcriptum, in quo praeſidium quaerant inueniantque magiſtratus, quos diximus, non erit tamen, cur continuo de cauſſa deſperent. Etenim cum leges noſtrae tueantur ea, quibus auctoritatem vetuſtas dedit, tametſi ius non probetur, [c]) non poterit controuerſia magiſtratibus noſtris cum effectu moueri, qui, non contradicente principe, ius detractionis per tempus, cuius initium memoriam hominum excedit, exercuerunt. Vt vero frequentiſſimum eſt, vt magiſtratus inferiores, iique mox ſimplici iurisdictione, mox mero imperio inſtructi, ius detractus vel expreſſa principis conceſſione, vel praeſcriptione, muniti, exerceant, ita conſequitur, vt, ſi vel maxime certum ſit, ius detractus in aliqua prouincia vſitatum

eſſe,

eſſe, nihilo tamen minus incertum maneat, num emolumentum inde redundans vel princeps vel magiſtratus ſibi vindicare poſſit. Atque etiam, ſi plures alicubi extent, quorum alter iurisdictionem tantum ciuilem, alter merum imperium habet, dubium erit, vtrum huic, an illi, lucrum ex deductione facienda cedat. Tanto facilius igitur in illorum concedo ſententiam, qui, quotieſcunque quaeſtio incidit, vtrum principi, an magiſtratui, eique vel ſuperiore vel inferiore iurisdictione inſtructo, cenſus detractionis et emigrationis debeatur, ad diuturnum vſum et obſeruantiam cuiusque loci reſpiciendum eſſe monent. [d])

a) vid. IOACHIMI ELECTORIS CONSTITVTION WILKOER und ORDNVNG DER ERBFAELLE de anno 1527. tit. VON KINDER GELD, in MYLII corpore conſtitut. Marchic. II. Th. I. Abth. p. 23. it. MARGGRAFFEN IOHANS Policey-Ordnung de anno 1540. c. XI. apud MYLIVM l. c. V. Th. I. Abth. p. 12. MARGGRAFFEN IOHANS Additional-Conſtitution über die Policey art. XI. de anno 1561. apud EVNDEM l. c. p. 32.

b) vid. CHVRFÜRSTLICHE BRANDENBVRGISCHE im Hertzogthum Magdeburg publicirte Policey-Ordnung de anno 1688. c. LVI.

c) l. 26. D. de aqua et aqu. pluu. arc.

d) IO. BALTHASAR DE WERNHER P. V. obſ. 53. CASPAR. HENR. HORNIVS reſponſorum iuris cl. 2. reſp. 20. p. 121. IO. HENR. DE BERGER in oeconomia iuris L. I. tit. 2. §. 18. p. m. 88.

§. VI.

Patet ex iis, quae de ratione introductae detractionis diximus, non minus nobiles quam ignobiles,

biles; ſi forte ſedem fortunarum mutare vellint, ad cenſum emigrationis ſoluendum obſtringi, hereditates etiam illorum, ſi exteris heredibus delatae exportantur; deductioni obnoxias eſſe. Si enim longe maius damnum res publica ſentit ex diſceſſu virorum praecipuorum, ipſis maiorum ſuorum exemplis ad patriam virtute et prudentia iuuandam incitatorum quam viliſſimorum quorumque de fece plebis hominum, tantoque plus de rei publicae opibus decedit, quo ampliora ſunt, quae in exteras prouincias transferuntur, patrimonia, non video, cur lege non comprehendantur, ad quos ratio legis prae ceteris pertinet. Quodſi igitur libertate cum bonis ſuis diſcedendi, quam aliqua ex parte circumſcribi e re publica eſt viſum, nihilominus vti cupiunt, non habebunt, cur ſe ſubducant legi ſine exceptione cuiusquam latae, qui principi eius auctori pariter ac ignobiles ſunt ſubiecti. Interim haec de aliis accipienda non ſunt, quam de iis, qui in loco principis deducentis ſuperioritati ſubiecto, domicilium adhuc habuerunt, vt vt ceteroquin, vtrum praedia equeſtria poſſideant, adeoque ex numero ordinum prouincialium ſint, nec ne, minime diſtinguendum eſſe putem. Hoſpitibus igitur, vt acceſſus, ſic abitus liber eſſe debet, cum nihil detrimenti capiat respublica ex abſentia illorum, qui eo animo vt ſeſe ciuitati adiungerent, non aduenerunt. Nec aliud ſentiendum eſt hereditatis contemplatione, quam hoſpes, vel etiam viator, dum forte fortuna per territorium tranſit, a morte occupatus, relinquit. Haec enim quoniam nec ea mente inuecta eſt, vt in

Digitized by Google

in loco, quo mors oppreſſit peregrinantem, perpetuo eſſet, nec ipſe defunctus vllo iure obſtrictus fuit, ad neceſſitates rei publicae exterae opibus ſuis ſubleuandas, peſſimi ſane res exempli foret, et in perniciem ciuium euaſura, heredes defuncti hoſpitis exteros parte bonorum mulctare.

§. VII.

Non autem aeque vt principi parent, quotquot in territorio eius domilium conſtituerunt, magiſtratus quoque inferioris iurisdictionem agnoſcunt, qui habitant in loco, iurisdictioni eius alias ſubiecto. Neque enim incognitum eſt, inueniri in magiſtratum inferiorum territoriis a iurisdictione illorum non minus exemtos, quam qui extra territorium morantur. Cum igitur non latius pateat ius detractus, magiſtratibus inferioribus competens, quam ipſa iurisdictio, ex qua magiſtratus appellantur, non erit ab inſtituto noſtro ſeiunctum, diſquirere paullo accuratius, an et quatenus nobiles, de quibus in primis nobis ſermo eſt, iurisdictioni magiſtratuum, quos diximus, inferiorum obtemperare teneantur. Regulariter enim in iudiciis prouinciae cuiusque ſuperioribus ſunt conueniendi, ſi cui forte cum illis controuerſia intercedit. Ac in Marchiā inprimis obtinet, vt actio, qua nobilis petitur, in iudicio camerali vel alio, in quo principis nomine ius dicitur, inſtituatur. *) In aliis autem prouinciis inter ſchrifftſaſſios, et amtſaſſios diſtingui ſolet, quorum illi in curiis prouincialibus, et coram regimine, hi in praefecturis principum, primam inſtantiam ſortiuntur.

tiuntur. [b]) At haec tamen de iis, qui praedia tantum equeſtria poſſident, aut ſaltem in loco, iurisdictioni principis immediate ſubiecto, habitant, intelligendum videtur. Illud contra etiam nunc in dubio verſatur, num illi, qui in ciuitatibus municipalibus, aut vico, cuius iurisdictio ad alium nobilem pertinet, morantur, vel bona immobilia ibi poſſident, in iudicium vel municipale vel vicanum efficaciter vocari poſſint. Ac quod ad aedes quidem attinet, quas forte in oppido comparant, vel praedia ruſtica, quae poſſident, vix operae pretium erit, verba eam in rem facere. Neque enim facile erit quisquam, qui affirmare audeat fundos et praedia a nobilibus acquiſita iurisdictioni eximi, cum notiſſimi iuris ſit, mutatis poſſeſſoribus, non continuo mutari qualitatem rerum, [c]) nec ius, quod tertio cuidam in his competit, interuerti. Perſonae ſaltem eccleſiaſticae, etſi forum alias habeant priuilegiatum, nihilominus tamen, ſi in rem agatur, rei ſitae iudicem recuſare nequeunt, [d]) ac ne lege quidem, qua iudicia ciuilia ſubire prohibentur, [e]) ſeſe exuſare poſſunt. Quod autem ad ipſas perſonas nobilium ſpectat, minime crediderim, illas propter aedes aut praedia, intra limites iurisdictionis, quam magiſtratus inferior habet, acquiſita, in eam redigi conditionem, vt in perſonalibus etiam ad iudicem inferiorem venire, vocati teneantur. Solam enim domus poſſeſſionem, quae in aliena ciuitate comparatur, domicilium non facere, auctor eſt PAPINIANVS. [f]) Ceterum ſi in his ipſis aedibus domicilium conſtituant, vix quidem detrectare poterunt, quominus iudici loci

habitationis ſeſe ſiſtant, actionem excipiant, ſententiamque litis deciſoriam expectent. [g]) Ad praerogatiuas ſaltem nobilitatis fruſtra prouocabunt, qui nullo priuilegio, quo iurisdictioni iudicis domicilii exemti ſunt, ſeſe tueri poſſunt. [h]) Et, quod ad iudicia municipalia, in hac ipſa ſententia magis confirmor, dum ſuperiorum ſaeculorum memoriam repeto, ipſosque principes olim per praefectos et aduocatos ſuos in oppidis ius dixiſſe video. [i]) Nullus enim dubito, ea ſaltem aetate nobiles, qui ex agro in oppida conceſſerant, non magis ſe poteſtati aduocatorum vrbanorum, ac ignobiles, ſubducere potuiſſe. Cum igitur poſtea tum gratia, tum pretio, obtinuerint ciuitates, vt, remotis aduocatis principalibus, delecti ex decurionum ordine homines iurisdictioni intra vrbis moenia praeesſent, facile mihi largietur quilibet, hos ipſos in iura priſtinorum iudicum ſucceſſiſſe. Quae vero cum ita ſe habent, minime inuito iure a legum peritis aſſeuerari puto, nobiles illos, qui ciuitates inhabitant, eſſe membra ciuitatis, huiuſue iurisdictioni non quoad res tantum, ſed et quoad perſonas, obnoxios. [k]) Tametſi enim minime infitias iuerim, fuiſſe aliquando, qui nobilitati non ſatis conuenire rati ſunt, in vnam cum iis ſocietatem coire, qui et origine et vitae genere longe eſſent inferiores, ciuitates tamen non minore contentione laboraſſe, animaduerto, vt iura ſua integra et illaeſa ſeruarent. [l]) Eamque ob cauſſam in quibusdam ciuitatibus vſu eſt introductum, vt qui intra certum temporis ſpatium ſeſe adſcribi ciuitati non curarunt, excedere vrbe iubeantur. [m])

Aliae

Aliae priuilegiis principum conſecutae ſunt, vel vſu introduxere, vt nobiles, vel omnino non, [n]) vel non, niſi praeſtitis iis, quae a reliquis in ciui-tatem cooptandis praeſtanda ſunt, [o]) recipiant tolerentue. FRANCOFVRTVM certe contradicto aliquando iudicio obtinuiſſe lego, vt nobilis, domus cuiusdam in vrbe poſſeſſor, nomen ſuum inter ciues profiteretur, ſacramentique religione fidem magiſtratui obligaret. [p]) Tanto minus igitur rebus ita comparatis, forum ciuitatis declinabunt nobiles, in oppido, quod tanquam ciues incolunt, delinquentes. Sane vſu fori noſtri obtinere nouimus, vt etiam exteri in loco delicti prehendantur, iudicentur, et ad poenam rapiantur. [q])

a) Neu verfaſte CAMMER-GERICHTS-ORDNVNG in der CHVR und MARCK BRANDENBVRG tit. X. §. 1. apud MYLIVM corporis conſt. March. II. Th. I. Abth. col. 378. it. HOF-und LAND-GERICHTS-ORDNVNG in der ALT-MARCK de anno 1602. §. 1. l. c. col. 72. it. QVARTAL-GERICHTS-ORDNVNG in der ALT-MARCK §. 1. l. c. col. 83.

b) IO. SCHILTER in comment. de Schrifftſaſſiis c. I. quae extat in eius praxi iur. R. in foro Germanico T. I. p. 305. ſeqq.

c) MEVIVS P. III. decis. 181. n. 9.

d) ANDREAS GAILIVS L. I. obſ. 37. n. 4. IVSTVS HENNINGVS BOEHMER iur. eccleſiaſtici proteſt. L. II. T. II. §. 58. p. 1021. ſeq.

e) [illegible] X. de foro compet.

Digitized by Google

i) IO. CONRAD KNAVT in der Altzelliſchen Chronicke VIII. Th. p. 53.

k) AHASVER. FRITSCH in exercitat. de iure emigrationis et detract. §. 28. p. 143,

l) KNIPSCHILD de ciuitatibus imperialibus L. II. c. 29. n. 37. ſeqq.

m) MEVIVS ad ius Lubecenſe L. I. T. II. art. 2. n. 41.

n) KNIPSCHILD l. c.

o) SCHEPLITZ conſuetud. Brandenb. L. IV. T. 13. §. 5. p. 480.

p) MVLLER in practica ciuili Marchica reſolut. 7. n. 13. p. 15.

q) BRVNNEMANN in commentario ad l. 1. C. vbi ſenat. SCHEPLITZ l. c. p. 483. ſeqq.

§. VIII.

De magiſtratuum municipalium iurisdictione in nobiles dictum eſt, quantum ad rem pertinere viſum. Adiicienda ſunt quaedam de nobilibus, qui in praediis ſuis equeſtribus plerarumque Germaniae prouinciarum iuris dicundi poteſtate fruuntur, non raro etiam meri imperii habent exercitionem. Superuacaneum itaque foret de ruſtica plebe latius diſputare. Hanc enim in iudiciis nobilium ius accipere, aeque notum eſt quam quod eſt notiſſimum. Num vero nobiles etiam, praedia ruſtica in villis nobilium vel poſſidentes vel plane incolentes, nobilem, villae dominum, et iurisdictione inſtructum, agnoſcere iudicem teneantur, hoc eſt, quod adhuc in controuerſiam vocari poteſt. Etenim ſi verum eſt, quod aliqui affirmant, [a]) ex antiqua dominorum in ſeruos poteſtate patrimonialem, quam dicimus, nobilium nobilium noſtrorum iurisdictionem originem ſumſiſſe,

ſiſſe, videri poterat, eo non eſſe extendendam illam, vt nobilis cauſſas aliorum nobilium ciuiles ad ſuam trahere poſſet cognitionem, vel nobiles delinquentes coercere. Non eſt, quod quis mihi obiiciat ruſticos in pluribus locis liberos, quibus tamen aeque ius dicunt nobiles, ac aliis glebae adſcriptis. Neque enim cum ruſticis illis, quamlibet liberis, libertinae tamen originis hominibus, comparandi ſunt, quorum maiores vel nunquam iuſtam ſeruierunt ſeruitutem, vel ſaltem principalibus codicillis natalibus ſunt reſtituti. Illis ſane ſeruitutis macula etiam poſt ſaeculorum lapſum adhaeret moribus noſtris, vt, quod iam ſupra tetigimus, non multum a ſeruis hominibusque propriis diſtent. Hoc vnicum praecipui loco habent, quod inuiti in loco, vbi morantur, retineri non poſſunt. Accedit, quod ICri noſtri pari in parem imperium denegant. [b]) Sed nobilem nobili dignitate, ſaltem ea, quae natalibus debetur, legibusque vel moribus nobilitati tribuitur, aequalem eſſe, mea quidem ſententia ſatis eſt exploratum. Non itaque parentibus nobilibus in liberos, nec fratribus in fratres ſororesue iurisdictionem eſſe, CARPZOVIVS [c]) et SCHEPLITZIVS [d]) docuerunt. Enim vero tantum haec omnia apud me non valent, vt nobiles a nobilium iurisdictione omnino exemtos eſſe putem. Non negauerim, quod tot ſcriptores ſuperioris aeui tradiderunt,

Digitized by Google

in oppidis, in agro principum nomine ius dixerunt, praeſertim vbi delicta grauiora animaduerſionem viſa ſunt deſiderare. [e]) Hi vero iudices principum eſſe deſierunt, poſteaquam nobiles variis modis obtinuerunt, vt ipſi inrra limites praediorum ſuorum iurisdictionem adminiſtrarent, hoc ipſo nomine ad inſtar aliorum beneficiorum inueſtiti. Quemadmodum igitur ex dictis liquidum eſt, eam ipſam eſſe iurisdictionem nobilium, quae olim principis fuit tota, cuiusue partem etiam hodie dominii directi titulo tenet, facile mihi largietur quilibet,nobilium iurisdictioni obtemperare debere nobiles, qui ſeſe non ſubiicere illi, ſi princeps nunc etiam illam ſolus haberet, non poſſent. Fruſtra enim nobiles, quos ſaepe diximus, nobilibus aequalitatem dignitatis obiiciunt, quibus poteſtate cedunt. Hanc enim, non dignitatem, in cauſſa eſſe, cur par in parem imperio non vtatur, accuratior inſpectio legum quemque docet. Nihil itaque officit, quo minus praedia nobilium ruſtica, eiusdem iuris eſſe cenſeantur, ac ea, quae a ruſticis coluntur. Nihil obſtat, quo minus ea iurisdictioni nobilis obnoxia manere, ipſum etiam nobilem, ſi domicilium in praedio ruſtico intra fines iurisdictionis, quae ad nobilem pertinet, ſito, conſtituat, iurisdictionem nobilis agnoſcere debere, affirmemus. Nihil denique obeſt, quo minus ea omnia ad nobiles, iurisdictione inſtructos, applicemus, quae ſupra de iurisdictione magiſtratuum municipalium dicta fuere.

a) CHRI-

a) CHRISTIANVS THOMASIVS in diſſ. de hominibus propriis §. 86. p. 58. HEINECCIVS in diſſ. de iurisdict. patrimoniali.

b) l. 2. §. fin. et 4. D. de recept. et qui arbitr. l. 13. §. 4. D. ad SCtum Trebell.

c) CARPZOV p. IV. conſtitut 43. defin. 11.

d) SCHEPLITZ conſuetud. March. L. III. tit. 8. quaeſt. 1. p. 321. ſeqq.

e) IO. PETR. a LVDWIG in diſſ. de differentiis iuris in praediatoria iurisdictione nobilium, diſſ. 5. p. 20. ſeqq. add. THOMASIVS de iurisdictionis et magiſtratuum differentia ſecundum mores germaniae.

§. IX.

Sed cui fini, inquis, haec omnia afferuntur? Nimirum, vt intelligatur, de quibusnam bonis nobilium, magiſtratibus inferioribus deductionem facere ſit permiſſum. Quam late enim patet horum iurisdictio in nobiles, eatenus etiam locum habebit ius detractus intuitu bonorum, quae vel ipſi nobiles, eorum poſſeſſores, vel heredes nobibilium, exportare volunt. Non eſt, quod excipias, me ipſum negare iurisdictioni ineſſe ius detractionis. Nam etiam nunc in hac ſententia perſiſto. At ſi tamen magiſtratui vel lege, vel priuilegio, vel praeſcriptione competit, non poterit illud vltra limites iurisdictionis extendere, bonaque, nullo iure ſibi ſubiecta, deductione onerare. Fingas igitur nobilem, vrbem quandam, vel vi-

Digitized by Google

iicit, bona, quae ſecum habet, ab omni detractione manent libera, ſiue ab ipſo abeunte, ſiue ab herede defuncti, denuo aſportentur. [a]) Sicuti vero is, qui magiſtratui huic illiue, perſonae contemplatione, ſubiectus non eſt, illum nihilominus iudicem agnoſcere tenetur propter rem, quam poſſidet, intra fines iurisdictionis ipſius ſitam, ſic etiam de his ipſis bonis a iudice rei ſitae poterit deductio fieri, ſiue pretium ex eorum venditione ab ipſo domino, ſiue ab herede eius transferatur. [b]) Nec oberit illi, etſi vel maxime iurisdictione in perſonam poſſeſſoris deſtituatur. Etenim quo iure bona immobilia clericorum, foro ciuili alias omnino exemtorum, ſi forte iis alienatis pretium in alium locum transporterur, in deductionem veniunt, [c]) eadem aequitate detractio de bonis nobilium fiet, vt vt iurisdictioni detrahentis, quod ad perſonam attinet, minime ſint ſubiecti. Fruſtra tamen eiusmodi magiſtratus deſiderabit, vt mobilia quoque, ſicut immobilia, in cenſum veniant. Illa enim, perſonam, iurisdictioni minime ſubditam, ſequuntur. [d]) Contra, cum magiſtratus iurisdictione in perſonam inſtructus eſt, non continuo quoque poteſtatem habet ratione omnium rerum immobilium praeſertim, in dominio perſonae conſtitutarum. Indeque nec detractionem de bonis immobilibus, extra iurisdictionem ſuam ſitis, ſibi poterit arrogare. [e]) Et quoniam denique iudex domicilii iurisdictionem in perſonam habet, hanc autem res mobiles, et quae harum iure et nomine veniunt, ſequi dicuntur, [f]) is certe ſolus ius detractionis illarum rerum contemplatione exercere

poteſt,

poteſt, licet mortis tempore extra locum domicilii reperiantur. Ceterum ſi bona et mobilia et immobilia, quotquot quis habet, in loco domicilii inueniantur, per ſe patet, deductionem de rebus tum mobilibus tum immobilibus, concurrentibus in vna perſona omnibus cauſſis, ad iudicem domicilii pertinere.

a) MEVIVS P. II. deciſ. 160. n. 3.
b) SCHEPLITZ conſtitut. march. P. III. tit. 8. §. 6. n. 5. p. 298. MVLLER in practica marchic. reſol. 7. n. 9. in fin.
c) SCHEPLITZ l. c. P. III. tit. 8. §. 10. p. 299.
d) MVLLER l. c. n. 2. p. 14.
e) BERLICH P. III. concluſ. 52. n. 65. MVLLER l. c. n. 9.
f) ANDREAS BAVCHBAR quaeſt. iur. ciuil. 17. n. 1. ſeqq. BERLICH l. c. n. 70.

§. X.

Sunt hae praecipuae regulae ex quibus aeſtimandae ſunt controuerſiae detractionis, de bonis nobilium faciendae. At dantur tamen exceptiones. Fac enim, aliquem intra limites iurisdictionis alterius nobilis vel magiſtratus oppidani aedes poſſidere. Fac etiam, in illis domicilium habere, ſed has ipſas aedes a iurisdictione magiſtratus ordinarii eſſe exemtas. Non ego crediderim, illum propterea iurisdictioni magiſtratus, quem dixi, ordinarii ſubeſſe. Quod enim ad aedes vel praedium attinet, exemtio magiſtratui obſtat. Si

Digitized by Google

dam ſubiiciantur, non ſufficit, in loco, iurisdictioni magiſtratus ex parte ſubiecto, habitare. Ipſae enim aedes, ipſaque praedia, quibus pro domicilio vtimur, iurisdictioni ſubeſſe debent. Quae ſi ſunt exemta, ac principis iurisdictioni reſeruata, non magiſtratus inferior, ſed princeps bonorum aliorſum transferendorum ratione ius detractionis exercebit.[a]) Quod ſi domicilium, quod quis elegit, non ſit exemtum iurisdictioni magiſtratus ordinarii, ipſi vero nobiles vbicunque tandem habitent, lege prouinciali excepti ſint a iurisdictione magiſtratuum inferiorum, hi quidem ius detractionis, ſaltem de bonis mobilibus, ſibi non poterunt vindicare. Deuique ſi leges prouinciales nobiles a detractionis onere omnino liberos eſſe iuſſerunt, quod in ducatu Magdeburgico factum eſt, [b]) vel me non monente quilibet intelligit, ea omnia concidere, quae ſupra de bonis nobilium detractioni obnoxiis in medium allata fuere.

a) FRITSCH de iure emigrationis et detractionis §. 18. p. 142. CARPZOV P. III. conſtitut. 12. def. 19.
b) MAGDEBVRG. POLICEY-ORDNVNG de anno 1688. §. 8.

Sunt haec L. B. quae in praeſenti tecum communicare licuit. Plura addere animus erat, niſi temporis anguſtia obſtitiſſet. Illa igitur et alia, ſi DEVS vitam ſeruabit incolumem, in poſterum a me expecta.

UA 1152110 |

Digitized by Google